

D E
ECCLESIAE ROMANAE

AUCTORITATE,

Quæ quinto loco continetur.

LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

Vbi ponuntur argumenta, quibus huius loci auctoritas impugnatur.



IN eum locum incidimus, quem longe, lateque patentem Theologi, præsertim iuniores, copiose tractare solent, propterea quod sedis Apostolicæ non auctoritas modo & gravitas, verum etiam omnis omnino vis & facultas, cum semper ab hæreticis impugnata est, tum multo magis hoc tempore a Lutheranis impetitur, quorum in Romanam ecclesiam contentio pertinax, & odium æternum est. Sed non ego persequar quæstiones infinitas de Romani pontificis potestate; tantum de auctoritate dogmatum videamus. Nolo autem agere confuse, ut id explicemus hæc disputatione quod quæritur. Itaque eorum imprimis argumentationes exponemus, qui locum impugnant. Deinde loci nos vim & auctoritatem cum catholica ecclesia conservabimus. Posthæc adversariorum argumenta diluemus. Quæ si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparata, fortassis

sis etiam brevior videbitur. Qui igitur locum hunc infirmare pergunt, his argumentis, ut sibi videtur, efficiunt.

Primo Ioannes 22. publice docuit, iustorum animas non videre Deum usque ad iudicii diem: cavique ne Parisiis Theologiæ gradum quisquam consequeretur, nisi prius in hanc sententiam iuravisset. Errare igitur summus Pontifex, atque adeo sedes Apostolica in fide potest.

Secundo, Celestinus 3. definivit, quod cum alter coniugum labitur in hæresim, dissolvitur matrimonium, ut patet *de divortiiis*, cap. *Quanto*. Super quo affirmat Hostiensis Celestini epistolam decretalem habitam olim in corpore iuris. Erravit igitur in fide Celestinus. Nam definitio illa evangelio contraria est.

Tertio, Alexander 3. *de sponsa duorum*, cap. *Licet*, asserit, quosdam suos prædecesores iudicasse, quod si post matrimonium contractum per verba de præsentis, non consummatum tamen, aliud novum matrimonium consummetur, primum dirimitur, secundum est validum. Hic autem error est sine dubio in fide & moribus manifestus.

Quarto, idem Alexander 3. cap. *Cum esses, de testamentis*, definit, alienum esse & a generali ecclesiæ consuetudine & a divina lege & a sanctorum patrum institutis, ut testamenta, nisi quinque, vel septem testium fuerint subscriptione firmata, penitus rescindantur. Constat autem civilem legem, quæ eiusmodi testamenta minus solemnia irritat, a viris hodie ecclesiasticis comprobari. Falsus est igitur in fide Alexander, ut qui pronuntiet, legem aliquam esse divinæ contrariam, quæ re vera contraria non est.

Quinto, Innocentius Primus in epistola ad Rufum & Eusebium cap. 1. *Qui viduas*, inquit, *acceperunt uxores, ad summum sacerdotium agnoscimus pervenisse*. Quod contra legis esse præcepta, nullus ignorat: cum Moyses clamitet, uxorem virginem sacerdos accipiat; contra quod præceptum divina auctoritate subnixum, nulla defensio opponitur nisi consuetudo vestra, quæ ex ignorantia profecta est. Et Innocentius tertius cap. *Per venerabilem, qui filii sunt legitimi*, cum quandam legem Deuteronomii retulisset, *Sane*, ait, *cum Deuteronomium secunda lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur,*

itur, in novo testamento debeat observari. At decreta veteris legis debere a nobis observari, sacris etiam literis, non modo concilio Florentino adversatur.

6. Arg. Sexto, Nicolaus tertius in extravaganti. *Exiit qui seminat, de verborum significatione*, decernit, abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi Christum Dominum & verbo, & exemplo doeuisset. Quod erroneum esse Ioannes 22. docet in extravaganti, *cum inter nonnullos*.

7. Arg. Septimo, Nicolaus ad consulta Bulgarorum, referturque de cons. dist. 4. cap. *A quodam Iudæo*, definit, quod si in nomine Christi aliquis baptizetur, rebaptizari non debet. Cuius oppositum Pelagius papa determinat, in epistola ad Gaudentium episcopum, referturque eadem dist. cap. *Multi*, & cap. *Si re vera*, quæ ambo capitula ex eadem epistola sunt deprompta. Consentit & cum Pelagio Zacharias papa, cap. *In synodo*, eadem dist. Aut Nicolaus igitur, aut Pelagius falso de fidei quæstione decrevit.

8. Arg. Octavo, Divus Gregorius in epistola quadam ad Augustinum Canthuariensem archiepiscopum, Gregorius quoque tertius in epistola ad Bonifacium episcopum, ex Apostolicæ Romanæque ecclesiæ auctoritate pronunciarunt, quod si mulier infirmitate aliqua fuerit correpta, nec valuerit debitum marito suo reddere, maritus quidem aliam uxorem ducere potest, ea lege tamen, ut subsidii opem coniugi priori non subtrahat. Quod autem vir ab uxore, quæ per infirmitatem debitum reddere non valet, discedere possit, atque ad secundas nuptias transire, doctrinæ Evangelicæ, Apostolicæque adversum est, ut Gratianus 32. q. 7. dixit.

9. Arg. Nonno, Gelasius contra Eutychen & Nestorium definit, in altaris sacramento, facta etiam consecratione, panis vini-que substantiam manere. Id quod a fide catholica alienum est.

10. Arg. Decimo, Romani Pontifices literas sæpe sacras falso exposuerunt. Nam ut ea loca prætermittam, quæ Caietanus refert in opusculo 27. quæstionum, quæst. ultima, certe Gelasius papa cum concilio septuaginta episcoporum, & refertur sub nomine Pelagii 21. dist. cap. *Quamvis*, atque Anacletus 22. distinct. cap. *sacrosancta* probant, Romanam ecclesiam cæteris esse

esse prælatam, illa Evangelica voce Domini salvatoris, *Tu es Petrus & super hanc petram edificabo ecclesiam meam*. Quod idem plures etiam alios pontifices sensisse constat. Ridiculum autem videtur esse, Evangelicum testimonium in eum sensum velle flectere. Ad eundem quoque modum plerique summi Pontifices ad probandum, maiores ecclesiæ causas ad sedem Romanam esse referendas, inducunt illud ex Luca, *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua*. Quod quam ineptum sit, vel ex eo liquere aiunt, quod ibi Dominus Petro solum, non item posteris loquebatur. Subdit enim, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quæ verba si ad posteros referantur, nimirum Romanos pontifices, prius aversos fuisse oporteret, ut aliquando conversi confirmarent fratres suos. Cum itaque Romani episcopi sacras literas falso interpretentur, falli & fallere in fidei dogmate possunt. Nam ex sacrarum literarum recta intelligentia vera dogmata, ex obliqua vero falsa trahuntur.

Vndecimo, si Apostolica sedes in fide errare non posset, id maxime ex privilegio Petri, Luca 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. At, Petri fides defecit, iuxta id quod Ambrosius ait (1), *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deslevit*. Multo ergo magis cæteri successores errare in fide potuerunt. Ut erravit certe Anastasius 19. dist. cap. *Anastasius*. Erravit quoque Honorius, ut in conc. 6. Const. action. 13. & 18. definitur.

Postremo, Hieronymus (2) in epistola ad Evagrium, cum illi obiiceretur Romanæ ecclesiæ consuetudo, *Si auctoritas, inquit, quaritur, orbis maior est urbe. Vbiunque fuerit episcopus, sive Roma, sive Constantinopoli, sive Alexandria, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit. Cæterum, omnes apostolorum successores sunt. Quid ergo mihi profers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiæ vindicas?* Hactenus Hieronymus. Et Ambrosius, lib. 3. de Sacram. cap. primo, cum Romanam

(1) Dist. 50. cap. *fidelior*. ex sermone 47. de fide Petri.

(2) 93. dist. cap. *legimus*.

consuetudinem sibi opponeret, *In omnibus*, ait, *cupio sequi ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus. Ipsum sequimur apostolum Petrum: ad hoc ecclesia Romana quid respondet?* Vtique ipse auctor est nobis huius assertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiae Romanae. Quod si Hieronymus & Ambrosius ecclesiae Romanae instituta facile reiiciunt, certe non est cur Apostolicae sedis praescriptam in moribus regulam sequi debeamus. Eo vel maxime, quod Trullana synodus, can. 55. asserit Romanam ecclesiam praeter ecclesiasticam traditam consuetudinem Sabbatis quadragesimae ieiunare: corrigique hunc ecclesiae Romanae morem, qui contra apostolorum canonem 65. inoleverit. His potissimum argumentis hunc locum quidam infirmum esse contendunt. Credunt enim sedem Apostolicam errare posse, etiam cum de fidei quaestione iudicat. Inter Parisienses Gerson & Almain huius sententiae praecipui auctores habentur. Eandem sequitur Adrianus in 4. sentent. de confirm. q. ultima. Ac Thomas quidem Wald. lib. 2. doctrin. fid. antiq. cap. 19. eandem videtur sequi, tamen in lib. de sacramentalibus, doctrina 10. longe aliter sentit. Gratianus 19. dist. 5. *hoc autem intelligendum est*, eidem opinioni videtur etiam assentiri. Nec ab hac, ut apparet, alienus est Cardinalis Turrecrem. lib. 4. part. 2. cap. 16. Quamvis in lib. 2. cap. 109. 110. contrariam sententiam & tenuerit & ostenderit. Hanc Erasmus libenter amplectitur super epistolam Hieronymi ad Damasum de nomine hypostasis. Quin in libr. de ratione verae Theologiae fenestram dicit aperire ad perniciem verae pietatis eos, qui doceant, Romanum Pontificem errare non posse, quoties de moribus aut fide pronunciat. Huic Lutherus subscribit, huic Wicleffista, atque adeo omnes haeretici subscribunt libentissime.

CAPVT II.

In quo redditur causa, cur sedes Apostolica quintum locum obtineat.

Horum ego opinionem ex academiis theologicis exploratus sum, efficiamque, ut spero, vi argumentorum meorum, si integris animis expendantur, semotis contentione & odio, quibus omne iudicium exoculari solet. Ut autem evidentius intelligatur, quam sit magnus huius opinionis error, fingamus animo unum esse Lutherum, in quem stylus hic noster acuatur. Nam errantium multitudo non parit errori patrocinium. Sit ergo primus idemque solus, qui audeat affirmare summum Pontificem ecclesiamque Romanam in fidei controversiis decernendis posse contra evangelium errare. Nisi ego probavero certioribus argumentis, id esse erroneum, quam probent catholici aut purgatorium esse, aut indulgentias pontificias divina auctoritate constare, auctoritas haec mea, quantum ea cunque est, apud Lectores periclitabitur. Illud vero melius ostendo, si ad locum hunc firma ratione constabiliendum, altius huius rei fundamenta iacio. Sed ante tamen, cur hunc locum quintum fecerimus, paucis explicandum est. Erunt enim fortasse quidam, quibus aptior ordo videretur, si priorem, quo conciliorum auctoritas continetur, hic locus antecederet. Qui etiam si aberrant a coniectura, video tamen quid sequantur. Nempe sedis Apostolicae auctoritate sublata, concilia quaecunque non solum vacillare, sed cadere: at sedem Apostolicam per se etiam sine conciliis suam habere auctoritatem. Priorem itaque esse ecclesiae Apostolicae quam conciliorum auctoritatem. Rebus autem suum cuique servare locum natura iubet. Quemadmodum locus elementis suis est cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua, superior aether, ignibus altissima ora reddantur. Quibus breviter respondemus, nos humani ingenii habita ratione, naturae ordinem saepe negligere. Est autem hominibus comparatum, quod Ari-

Aristoteles non semel admonuit, ut a notioribus ad ea, quæ minus sunt nota, proficiscantur. Quamobrem, cum conciliorum auctoritas plerisque sit & acceptior & notior, nihil mirandum est, si naturæ ordinem anteverterimus. Præterquam quod concilia ecclesiam representant, & ab ecclesia catholica concilia catholica seiungere, non erat satis ex ordine. Merito igitur ecclesiæ concilia hærerè fecimus. Sed de his hæcenus. Iam id quod erat institutum persequamur.

CAPVT III.

Tria pronuntiata continet, quibus efficitur, Petri in fide firmitatem ad successores quoque derivari.

ET si non sum nescius, quam sit scholastica disputationis forma quibusdam invisæ: sed non debeo tamen aliam inire disputandi rationem, præter eam, quam & viris clarissimis probatam esse intellexi, & ad errores omnes refellendos semper aptissimam existimavi. Certe quæ Augustinus contra adversarios ecclesiæ disseruit, tametsi & inventa sunt acutius & dicta subtilius, quam ut quivis ea possit agnoscere, ad evincendas tamen hæreses eo aptiora iudicantur, quo tenuius ad vivum ressecata sunt. Demonstraturus igitur Apostolicam eandemque Romanam sedem errare in fide non posse, scholæ more tres propositiones habeo ponere, in quibus huius quæstionis cardo vertitur.

Prima propositio. *Petrum apostolum fuisse a Christo institutum pastorem ecclesiæ universalis.*

Hanc probat aperte illud apud Ioannem (1) testimonium, *Pasce oves meas.* Qui enim non distinxit inter has oves & illas, alienam a suo demonstravit ovili, quæ Petrum pastorem non recognosceret: ut Innocentius, de maior. & obed. cap.

(1) Cap. 21.

solita, & Bernardus lib. de conc. ad Eugen. cap. 6. evidentissime argumentantur. Nec dubitari potest ad Petrum eam curam specialiter pertinuisse, quem Dominus, priusquam oves illi committeret, interrogavit, nec id semel aut bis, sed tertio etiam, *Simon Iona diligis me plus his?* Vbi non expressit solum Simonis proprium nomen, sed patris etiam nomenclaturam adiecit, ne ulla posset ambiguitate Petri potestas eludi, aut perverse in alium torqueri. Atque idem rursus ex altero apud Matthæum (2) testimonio declaratur. *Beatus es*, inquit Dominus, *Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in calis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam: & quodcumque solveris super terram, &c.* Vbi notandum in primis illud, quod cum omnes discipuli rogati fuissent, cæteris tacentibus, unus Petrus respondit. Deinde & illud advertendum, quod & nomen Petri antiquum Christus servavit inquitens, *Beatus es Simon*, & patris etiam nomen addidit, ne ad Cananæum possent verba referri. Nomen quoque novum indidit, quod Petro non commune cum reliquis apostolis esset, sed proprium. *Et ego dico tibi*, ait, non Ioanni, non Iacobo, *sed tibi, tu es*, non solum vocaris, *sed es Petrus*, hoc est saxum. Vnde & Ioannis primo cap. *Cephas*, id est, petra ingens seu rupis magno ferendo ædificio idonea, *a Domino vocatus est.* *Et super hanc petram*, inquit, *edificabo ecclesiam meam*, id est, *super te, o Petre.* Ut exponit Hilarius super Matthæum, Ambrosius sermone 47. de fide Petri, Cyprianus in epistola ad Quintum, Hieronymus 1. lib. contra Iovinian. & super Matthæum, & in epistola quadam ad Marcellam, & in Esai. 2. & 16. cap. quamvis in concione quadam de Pentecoste aliter exposuerit. Chrysostomus homil. 55. in Matth. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 12. Origenes homil. 1. in Matth. & homil. 5. super Exodum. Theophylactus (3) Lucæ 22. Gregorius in quadam epistola ad Mauricium Augustum, & in alia ad Eulogium Alex. episcopum 6. lib. epistola 37. Leo concione 2. de apostolis Petro & Paulo. Sed & in epistola ad

Tom. I.

Ddd

Fla-

(2) Cap. 16. (3) 12. dist. cap. preceptis.